dephlegmatum & tartarisatum, ad eminentiam trium aut quatuor digitorum, stent per aliquot dies in digestione, postea exprimatur & filtretur tinctura elegantissima, quæ in MB. *nonnihil inspissari potest per abstractionem tantilli Spiritûs. Vires cum superiore habet communes. Si superior Tinctura ad mellaginem inspissetur, habetur Extractum pro pilulis usitatum.*

Mutj in super. Tra ad hosce Offig.

℞. *Rad. Symphyt.* ℥iß.
Fol. Rut. mur.
Lich. petr. ana ℥ij.
Sang. Dracon. ver.
Gumm. Arabic. ana ℥j.
Sacch. alb. ad pond. omn.
M. f. P. J. detur in scatul. Dosis mane & vesperi ℥j. vel ℥ij.

CAPUT XIII.

De Remediis Glutinantibus, Sarcoticis, Poroticis, & Epuloticis.

§. 1.

Convenientia cum Vulnerariis.

GLutinantia, *Epulotica*, reliquaque in Titulo allegata medicamenta, parum admodum à *Traumaticis* differre, omnes notant Authores, sicut enim *Traumatica* particularum balsamicarum ope absorbent, edulcorant, & veluti quodam balsamo divisas partes obliniunt; ita remedia jam explicanda aliquantillum fortius desiccant, superfluamque humiditatem, à quâ Natura in restituendâ parte læsâ impeditur, auferunt.

Glutinantia.

§. 2. *Glutinantia* itaque sive *Colletica*, Græcis κολλητικὰ, sunt remedia, quæ particularum suarum glutinositate, recentia Vulnerum labia adducunt, & gluti-

glutinant, ſicque humoris è laceratis tubulis effluxum impediendo, citam diviſæ partis integritatem promovent.

§. 3. Ex quo patet jam per ſe, remedia hæc non niſi *Vulneribus recentibus* dicata eſſe, in quibus, cùm nihil adhuc impuritatis adſit, adducendis & agglutinandis laborare ſtatim poteſt Chirurgus. Quod ſi verò humores varii in cavitatem Vulneris illapſi ſint, ii prius eluendi veniunt, antequam aceſcant; Ubi autem jam acorem contraxerunt, protinus miſſis Glutinantibus, digeſtiva, ſuppurantia vel blandè maturantia, ſed acido tamen ſimul reſiſtentia uſurpare oportet. *Uſus.*

§. 4. *Modus*, quo *Glutinantia* operari debent & ſolent, non eſt alius, quàm quòd particularum ſuarum tenacitate, citra ullam acrimoniam aut aciditatem, laceratorum vulneratæ partis tubulorum extremitatibus apertis adhæreſcendo, ſive ſanguinis, ſive lymphæ effluxum cohibeant, quo quidem cohibito humoris effluxu, Natura promptius nutritium ſuccum apponendo, & agglutinando, reſtitutionem partis accelerare valet. *Modus agendi.*

§. 5. Hinc demum *Glutinantium* Tabulæ annumeranda veniunt, quæ conſtant particulis viſcoſis, lentis atque tenacibus, iisque tum *viſcoſo-reſinoſis & oleoſis*, tum *viſcoſo-mucilaginoſis*, & aqueæ magis progeniei. *Glutinantia viſcoſo-reſinoſa* ſunt *Terebinthina*, ſive *Oleum* illud *craſſum*, *reſinoſum*, & *tenax*, è *Terebintho*, vel etiam vulgarius è *Larice arbore* collectum; *Sarcocolla*, ſive *Lachryma* Arboris cujuſdam in Perſide naſcentis amara, coloris ſubruffi; *Myrrha*, ſive Gummi Arboris Arabicæ, amarum valdè, coloris ex ruffo-flaveſcentis; *Thus* aut *Olibanum*, Lachryma illa Arboris cujuſdam Arabicæ amara; *Pix*, ſive *Succus reſinoſus*, aut *Materia.* *Viſcoſo-reſinoſa.*

Gummi ex Arboribus resiniferis, v. gr. *Pino*, &c. accensis exstillans; *Mumia*, sive caro humanorum cadaverum, variis resinosis Gummatibus condita; *Oleum crassius coctum Myrrhæ, Nicotianæ, Balsamus Peruvianus*, aliaque *Balsama Vulneraria*, superiore Capite descripta: Quo refer *Axungiam humanam*, vel *Murium alpinorum, Balsamis* commiscendam; *Unguentum aureum* Mesue, è resinosis cum *Oleo* & *Cerâ* concinnatum; *Emplastrum nigrum* ex resinosis utplurimum, hinc & siccantibus terreis compositum.

Viscoso-mucilaginosa. §. 6. *Glutinantia viscoso-mucilaginosa*, sunt *Radix Symphyti, Althææ, Folia Sempervivi majoris, Ficus Indicæ, Telephii, Ophioglossi, Lichenis petræi, Semina Psyllii, Cydoniorum, Lumbrici terrestres, Cochleæ* item omnivariæ, ac *Succus 69rorum fluviatilium* expressus.

Terrea. §. 7. Glutinantibus etiam accensentur, quæ *terrestrioris* sunt *Naturæ*, particulis prædita terrestribus, siccantibus, fixis, adstringentibus sive stypticis, quemadmodum sunt *Radices Tormentillæ, Bistortæ, Pentaphylli, Folia Pilosellæ, Saniculæ, Quercûs, Pyri, Cydoniorum, Pini sylvestris, Myrti, Polygoni, Flores Balaustiorum, Malicorium, Lithargyrium Auri, Pompholyx, Succus Aloes, Liquiritiæ, Unguentum desiccativum rubrum, Emplastrum Triapharmacum, Catagmaticum.*

Formula. § 8 Atque singula hæc remedia variis in formis usurpari possunt, quorum commodissimæ sunt formæ *Balsamorum densiorum, Unguentorum* & *Emplastrorum*, ubi tamen pro rei necessitate non omittendæ veniunt *Vulnerum elotiones*, cum *Aquâ Calcis vivæ* calidâ, vel *Decocto* aliquo *traumatico* aliquantillum adstringente, quod fieri semper potest ante Balsami inunctionem. Alii Vulnera cum successu

cessu eluunt *Tinctura traumatica*. Ab oleosis & mucilaginosis fluidioribus hic cavendum, quoniam tubulos magis laxant, sicque occasio uberiori influxui præbetur.

Formulæ Glutinantium.

℞. *Gumm. Elem.*
Terebinth. ana ℥ij.
Ceræ ℥iß.
Olei Hyperic. ℥viij.
Misc. fiat Balsamus.

℞. *Bals. ind. nigr* ℥j.
Tereb. Ven. ℥ij.
Ceræ ʒvij.
Ol. Loti hort. ℥iv.
Vin. rubr. ℥iij.
Misc. coqu. usque ad Vini consumpt. & fiat Balsamus.

℞. *Essent. vulnerar.* ℥ij.
Detur in V. ut eâ Vulnera, Ulcera imbuantur.

℞. *Rad. Aristol.*
Myrrh.
Oliban.
Colophon. ana ʒij.
Misc. f. Pulv. subt. detur in scat. Ut inspergatur Vulneribus, Ulceribus.

℞. *Empl. stict. Cr.* ℥j.
Malax. Ol. Hyp. d. in ch. Ut linteo inductum Vulneribus, Ulcer. applicetur.

§. 9. *Sarcotica*, sive *Carnem generantia*, sunt remedia, Naturam in carnis ulceratarum vel vulneratarum partium deficientis generatione juvantia. Subinde enim contingit, ut per casum quendam, vel Chirurgicorum instrumentorum ope, vel etiam ab humore Ulcerum depascente, caro *Sarcotica.*

auferatur; huic igitur regenerandæ Medico-Chirurgi quædam primitus excogitârunt, quibus deficientem carnem restaurarent, eaque græco nomine Σαρκοτικα, carnem generantia appellârunt, non quòd ipsamet facultatem obtinerent, carneam substantiam apponendi, & per se producendi; sed tantùm quòd obstacula, quibus ipsa Natura in carnis regeneratione impediri posset, è medio tollerent, id est, acidos humores Ulcerum inverterent, siccarentque.

§. 10. Hic tamen notandum, in Sarcoticis non tam siccandi, quàm adducendi vascula lacera, atque edulcorandi & absorbendi vim, quâ humoris partim aciditas, partim acrimonia edulcoratur & emendatur, considerari, hinc *Sarcotica* primo gradu, *Glutinantia secundo*, *Epulotica* & *Porotica tertio gradu*, siccandi effectum producere dicuntur.

Modus agendi.

§. 11. Agunt ergo *Sarcotica* moderatè siccando, acidum Ulcerum invertendo, absorbendo, sicque sordes eorum blandè detergendo. Quod vel ultrò indicat, Remedia hæc non acribus, sed dulcibus, blandis, alcalinis ac sulphureis plus minus volatilibus particulis prædita esse debere: Si enim constarent particulis acribus, corroderent potius fibrillas ac tubulos, & majorem sic affluxum humorum concitarent, ob quem nulla agglutinatio humoris nutritii appositi fieri posset.

Quibus malu conveniant?

§. 12. *Sarcotica* itaque destinata sunt non quibuscunque *Vulneribus* aut *Ulceribus*, verùm iis tantùm, in quibus aliqua carnis portio una cum superstratâ cute ablata est. Quando enim sola cutis aut cuticula deficit, tum *Epulotica* potius remedia, quæ vel Cicatricem inducunt, vel Epidermidem restituunt, adhibere oportet, ne inæqualitas superficiei cutis enascatur.

§. 13. Quòd

§. 13. Quòd si intentio Medici eò tendere debeat, ut Naturæ potens auxilium, in restaurandâ carne deficiente semper afferatur, meritò damnamus Chirurgorum quorundam morem, quo subinde Naturæ scopum minus observantes, diu admodum molestas turundas, non sine Ægri incommodo Ulceribus ingerunt, sicque Naturam, nutritias particulas apponere conantem, efficaciter impediunt. Quare satius est, post elotionem Ulcerum breviores semper, nec ita crassas turundas immittere, quo sic tanto citius, tantoque felicius è Massâ sanguineâ nutritiæ particulæ affluere, carnisque defectum redintegrare valeant. *Turundarum abusus.*

§. 14. Oportet autem modicè siccare, atque superfluas humiditates absorbere, si caro feliciter restituenda sit. Quòd si enim humidiòra applicentur remedia, tum subinde Fungorum aut Carnis luxuriantis generationi occasio præbetur; hinc est, quòd vulnera tendinum, nervorum atque ossium, nulla unctuosa, nulla oleosa liquidiora, imò nec ulla digestiva communia ferant, cùm ab illis malum magis exasperetur, & corruptio major excitetur. *Modicè siccandum.*

§. 15. *Materia* Sarcoticorum à Medicis communiter sequens recensetur, particulis, uti jam dictum, non acribus, aut facilè rodentibus, non mordacibus, succi nutritii coagulationem impedientibus, sed alcalinis, terrestribus, plus minus sulphureis constans: *Radices Aristolochiæ rotundæ, Gentianæ, Bistortæ, Pulvis Foliorum Saniculæ, Graminis Parnassi, Pilosellæ, Rutæ murariæ, Plantaginis, Farina Fœni græci, Lycopodii, Lupinorum, Gummi Mastichis, Thuris, Myrrhæ, Sarcocollæ, Aloës, Pix, Colophonium, Plumbum ust. Lithargyr. Cerussa, Tutia, Lapis Calaminaris, Unguentum Basilicum, Apostolorum* *Materiæ Sarcoticorum.*

postolorum, de Pompholyge, Aureum, Emplastrum Diapalma, de Gratiâ Dei, de Betonicâ &c.

Modus carnem resarcendi.

§. 16. Modus ergo optimus restituendæ carnis is est, quando sub deligatione quâlibet primò omnium Ulcus lavatur, vel eluitur *Decocto* aliquo *traumatico*, aut *Aquâ Calcis vivæ* sive *simplici*, sive *Phagedænicâ*, vel etiam simplici aliqua *Tincturâ traumaticâ*, verb. grat. *Myrrhæ, Aloës, Thuris, Gentianæ, Catechu*, &c. hinc statim filamentosæ lineæ turundæ, sive siccæ, sive tantillo *Balsami vulnerarii* spissioris illitæ immittuntur, tandemque *Emplastrum sarcoticum* superimponitur. Quòd si nullæ amplius in Ulcere animadvertuntur sordes malignæ, tum ab elotionibus, aut inspersionibus illis abstinere, ac reliquo tantùm modo ad perfectam sanationem Vulnus & Ulcus deligare possumus.

Formulæ Sarcoticæ.

℞. *Tereb. vit. ovor. sol.* ℥j.
Mell. ros. ℥ß.
Essent. Aloes
Myrrh. ana ʒj.
Misc. d. in Pyx. Ut immittatur vulneribus, ulceribus, &c.

℞. *Ungt. Basilic.* ℥ij.
D. in Pyx. Usurpetur eodem modo.

℞. *Aloes*, ʒij.
Mastich.
Myrrh.
Lap. Calam. ppt. ana ʒß.
M. f. Pulv. subt. detur in scat. Ut inspergatur Vulneribus.

℞. *Empl. Diapalm.* ℥j.
D. in ch. ad usum.

Epulotica.

§. 17. Επυλοτικα, sive *Cicatricem inducentia* Remedia

media ſunt, quæ *Vulneribus*, vel *Ulceribus* cicatricem, ceu ultimam conſolidationem inducunt. Reſpiciunt hæc remedia non niſi cutim, quocunque in Vulnere vel Ulcere deficientem, quoniam cicatrix non eſt niſi conſolidatio diviſæ, aut reſtauratio deficientis cutaneæ portionis. Quæ enim medicamenta carnes ſubjectas reuniunt aut inſtaurant, *Sarcotica* hactenus dicta, fuſiusque explicata fuere; Quæ verò oſſa diviſa, eorumque portiones integritati reſtituunt, *Porotica* nominari meruerunt.

§. 18. Quum autem ad reſarciendam Cutim, non multo humore aut ſucco opus ſit, hinc & iſta remedia plus omnino ſiccare, & conſtringere debent, quàm reliqua ſuperius deſcripta; Ut adeo totus agendi modus eorundem conſiſtat in hoc, quando particulæ remediorum externâ ſui applicatione, partim ſuperfluum in Ulcus illabentem humorem abſumunt, partim oſtiola vaſculorum eòdem hiantium, leni quâdam adſtrictione ita cohibent, ut non poſſint plus humiditatis exſtillare, aut majorem copiam ſucci nutritii exponere, quàm quidem ſufficit ad cutaneæ portionis regenerationem. *Modus agendi.*

§. 19. Hoc tamen negotium non æquè feliciter omni tempore ſuccedit, atque Cicatrix, nunc citius, nunc tardius inducitur, prout nempe vel dulciores, vel acriores ad partem affectam humores affluunt; vel etiam, prout nunc debita, nunc minus convenientia remedia ad producendum illum effectum applicantur. Si enim è Maſſâ ſanguineâ benè conſtitutâ dulces atque balſamici ſucci appelluntur, non poteſt non hinc Cicatrix citò atque feliciter induci. Si verò Cacochymia in corpore exiſtit, & è ſanguineo latice ſucci plus minus ſalſi, & acres affluunt, tunc propter hujus ſucci, ad nutriendum & re- *Succeſſus diverſus.*

& restaurandum inepti, inconvenientem appositionem, Cicatrix admodum tardè producitur. Et vicissim, si remedia balsamicâ quâdam vi siccantia applicantur, Cicatrix minimè deformis inde efficitur; Si verò eadem remedia nimis adhuc oleosa aut humida sint, tum laxando tubulos, & uberiori humorum affluxui portas apertas relinquendo, vel luxurianti Carni, vel deformi Cicatrici ansam præbent; Si tandem nimis sicca sint, tum etiam Cicatricem maximè callosam faciunt, subinde ob inæqualem superficiem deformitate non carentem.

§. 20. Contigit etiam aliquando, ut in *Vulneribus*, aut *Ulceribus sinuosis*, externa cutis ad recipiendam Cicatricem præparetur ac disponatur, hincque Cicatrix ipsamet à male feriatis Chirurgis superinducatur, antequam intus latitans hostis prorsus sit sublatus; unde fit, ut Cicatrix ejusmodi minus tuta atque firma existat, quin corrosiva sanies, suos undiquaque cuniculos agens, citò iterum eandem perrumpit, sibique novum effluxum conciliat. Idem contingit, si in *Fracturis* ossium post Callum generatum, festuca aliqua ossea in carne remaneat, & nihilominus Cicatrix superinducatur, quoniam levissimâ occasione datâ, eadem festuca fibras circa se pungendo, lacerandoque, novam Inflammationem, Abscessum & Ulcus parit, tamdiu Dysepuloticum manens, donec festuca exempta fuerit, tum enim demum perfecta consolidatio, atque firma quædam, & constans Cicatrix expectari potest.

Materia. §. 21. Quòd materiam *Epuloticorum* attinet, petenda est illa è Tabulis Traumaticorum, ac moderatè Siccantium, aut etiam Sale aliquo nitroso, aliquantillum corrosivo existente adstringentium, vel absumentium. Talia verò sunt ex simplicibus *Ra-*

ces

ces siccatæ Bistortæ, Tormentillæ, Aristolochiæ, Herbæ Plantaginis, Gratiolæ, Millefolii, Myrti, Flores Rosarum, Balaustiorum, Cortex Granatorum, Litharyrium, Cadmia, Pompholyx, Plumbum ustum, Vitriolum ustum, Cerussa, Tutia; ex compositis habemus *Unguentum album Rhasis*, item *rubrum*, ac *Diapompholygos, Emplastrum de Cerussâ, Lapide Calaminari, Diapalma.*

Formulæ Epuloticorum.

℞. *Pelliculam Ovi gallinac. testam intus succingent.*

Hanc expansam mucilaginosâ parte imponeVulneri, Ulcerivè consolidando, & relinque.

℞. *Bals. peruv.* ℥j.
D. in Vitr. Et adhibeatur cum linteis carptis.

℞. *Rad. Bistort.*
Torment.
Aristol.
Pomphol.
Tut. ana ℥ß.
Alum. ust. ℈j.
M. f. p. s. d. in ch. Pro inspersione.

§. 22. *Porotica* medicamenta ea appellata sunt, quæ duras ossium partes, per Fracturam separatas, & disjunctas, callosâ quâdam concrescentiâ interveniente, sibi invicem iterum connasci atque uniri faciunt. Neque enim talia remedia propriè Callum ipsa generant, aut materiam pro ejusdem generatione suppeditant, sed Naturam tantùm in producendâ concretione callosâ adjuvare idonea sunt, nimirum impedimenta omnia tollendo, & debitam circa Ossis partes reuniendas siccitatem conservando. *Poroticorum definitio.*

§. 23. Est

Calli generatio.

§. 23. Est autem *Callus osseus* nihil aliud, quàm concretio extremitatum Ossis fracti dura, ex materiâ Ossium nutritiâ producta: dum nimirum utrinque ad extremitates partium fracti Ossis gelatinosus apellit succus, atque in se invicem paulatim implicatur, tandemque phlegmaticis particulis exhalantibus in osseam duritiem concrescit ac induratur; Quod quidem solius Naturæ opus est, usque adeo ut non rarò in Fracturis, quæ absque Vulnere contingunt, solâ commodâ membri deligatione Calli generatio promoveatur, atque spatio sex hebdomadarum, modò Natura probè adjuta fuerit, Callus integrè perfecteque formatus existat.

Calli luxuries l. deformitas.

§. 24 Cùm autem in partibus duris, non secus ac in mollibus, subinde in excessu generationis peccetur; hinc quoque interdum accidit, ut Chirurgo rem non probè curante Callus succrescat, vel justo major & crassior, vel aliâs deformis, membri motum postea valdè molestans, atque dolorem non exiguum quandoque excitans. Hæc verò Excrescentia nimia callosa, non tam superabundanti nutritio succo, quàm verò laxiori deligationi adscribenda venit, sub quâ os non undiquaque sufficienter & æqualiter compressum, ansam exhibet particulis nutritiis justo pluribus etiam ad latera apponendis.

Porotica-rum principia.

§. 25. Quæcunque igitur hunc effectum præstare, ac Naturam in hoc negotio adjuvare debent remedia, oportet, ut *mucilaginosis terrestribus*, & nonnihil *salino-volatilibus particulis* gaudeant, utpote quæ intus quidem nutritiam Ossium materiam exhibere valent, extus verò acidum heterogeneum absorbendo & edulcorando, impedimentum Curationis auferunt.

§. 26. Atque

§. 26. Atque hæc Remedia nobis convenire videntur cum *Glutinantibus* superius jam recensitis, quibus adhuc Lapidem istum *Osteocollam* dictum, ac in pulverem subtilissimum, affusâ subinde *Aquâ Plantaginis*, redactum adjicimus. Imò & Cibi gelatinosi ac mucilaginosi eundem in finem non sine ratione commendantur, utpote quibus fluxibilitas nimia seri sanguinei corrigitur, Saliaque acida, aut scorbutica absumuntur, & edulcorantur. Tandem si res accuratissimè pensitetur, nonsolùm externè *Emplastra epulotica*, sed & commodissima deligatio periti Chirurgi ad hanc auxiliorum Tabulam pertinere videtur.

Formulæ Poroticorum.

℞. *Emplastr. Catagmat.* ℥iv.
Malaxat. Ol. Hyperic. inducatur linteis expansis, ut applicetur membris fractis.
℞. *Osteocoll. ppt.* ℥ß.
Fiat. pulv. divid. in 4. dos. æqu. ad ch. Ut quotidie mane una sumatur cum *Aqu. Saniculæ.*

CAPUT XIV.

De Medicamentis contra Ambusta.

§. 1.

Anticauſticorum definitio.

R*Emedia ad Ambusta* dicuntur, quæ partes à quacunque re urente læsas suæ integritati restituunt. Cùm verò quamplurimis rebus ardentibus partes nostri corporis comburi queant, simulque ipsius ustionis plures gradus observati sint, meruit hæc doctrina ex professo ab aliquibus Medicorum tractari fusius, hinc & peculiaris extat *de Combustione* Tractatus, à *Guilhelmo Fabricio Hildano* in lucem e-